

Et illa, per quam pœnitentem vel absoluit, vel ad aliquam pœnitentiam obligat, vel prorsus repellit, dicitur clavis potestatis, siue iurisdictionis. Quæ quidem iurisdictioni vel est ordinaria, † vel delegata. Ordinaria est ea, quam habent Episcopus, religiosorum Prælati, curatus, & omnium maxime summus. Pontifex, qui quidem omnes dicuntur sacerdotes. Delegata verò, quam habent religiosi omnes ab Episcopo approbati cum consensu Prælati, text. & glo. in cap. ad iurisdictionem. 16. quæst. 1. Hinc fit, vt non omnes sacerdotes, eo quòd sacerdotes sunt, ad id idonei reputentur: quoniam licet per sacerdotalem characterem potestatem, & habitualem iurisdictionem accipiant ad absoluendum, actualè tamen, id est, ordinariam, vel delegatam, ad id necessariam non recipiunt. Nauar. in 21 Manua. capit. 4. num. 1. Hanc † autem potestatem absoluendi quisquis in animarum regimine constitutus est, delegare potest: modo non sit à iure prohibitus, veluti summus. Pontifex, Episcopus, Prælati religiosorum, & parochiarum præfecti, verum † delegatus à Papa indistinctè potest alteri subdelegare: si ei iurisdictioni commissa fuerit, & nõ certum ministerium. Nam quando committitur certum ministerium, vt prædicare crucem, excommunicare, vel absolute aliquos, dispensare cum irregularibus, vel iniungere pœnitentias, non licet (nisi salua legatorum Sedis Apostolicæ autoritate) alteri demandare: quia hoc casu non sibi iurisdictioni, sed certum ministerium potius committitur, cap. si. §. fin. de offic. deleg. notat Innoc. in cap. 13 pastoralis, co. tit. Hinc † infertur, quòd Prælati religiosorum habentes per priuilegium quòd in tali casu possint absolute subditos, aut cum eis dispensare, non possunt hæc alij subdelegare, si ista concessa sint in numero circa determinatos subditos: puta, Absoluatur ille, vel iste. secus vbi hoc concederetur respectu subditorum in genere tam respectu culpæ præteritæ, quàm futura-

rum, & Prælati præsentibus, atque futuris: quia in primo casu commissum est nudum ministerium, & electa est industria personæ. Quod aliter dicendum est in secundo casu; cum industria personæ sit incognita, & ita consuetudo, quæ legem interpretatur obseruat, vt inquit Sylu. in ver. delegatus, quæst. 8. Et hæc circa delegationem à Papa. Ex his 14 etiã redditur decisa alia quæstio, † quòd si ex priuilegio Rom. Pontificis habeatur, vt prælati talis congregationis tamen, quàm in futurum existentes possint omnium fidelium confessiones audire, etiam si à locorum ordinarijs non fuerint approbati, quòd cum tale priuilegium non sit circa determinatos subditos, & prælatos; possunt alijs subdelegare; & ratio ponitur per glo. solemnem, & communiter receptam in cap. fin. de offic. iud. ordin. vbi omnes, qui possunt absolute, vel dispensare virtute iurisdictionis delegata à Principe, aut concessa in perpetuum priuilegiũ ratione dignitatis, aut officij, aut virtute alicuius ordinariæ potestatis, possunt alijs committere. Hinc notat Panorm. in d. cap. fin. quòd Parochus potest committere confessionem sui subditi alteri presbytero. An vero † possint suas vices committere alicui sacerdoti non approbato ab ordinario. & videtur quòd nõ; tum, quia non videtur fuisse mentem summi Pontificis velle præiudicare episcopis, argum. cap. super eo. de offic. deleg. l. 2. §. si quis à Principe, ff. ne quid in loco publ. Tum, quia priuilegia licet ita sint interpretanda, vt aliquod operentur vltra ius commune, cap. in his, de priuileg. non sunt tamen extendenda ad alios effectus dato aliquo, quem operentur, & ad quem sint vilia, Panorm. in cap. certificari, de sepul. Decius in cap. 1. nu. 16. de rescript. Et consequenter sufficit vt possint Prælati per tale priuilegium dare facultatem Cõfessario approbato ab episcopo à quibus non poterat. Tum etiam, quia non videtur summum Pontificem velle committere decretis Conc. Trident. sess. 23.